

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 38, circa 2, quaestio 2. (fol. 42rb)

Utrum intentio ex qua denominatur opus teneat se ex parte voluntatis vel intellectus?

Secundo quaeretur, utrum intentio [ex qua denominatur opus]² teneat se ex parte voluntatis vel intellectus? Et videtur quod intentio sit actus intellectus, quia, *Matthaei VI*,³ dicitur, si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Sed oculus animae est intellectus, ergo intentio est actus intellectus.

Item, intentio dicit quamdam ordinationem ad finem. Sed ordinare aliquid in finem pertinet ad rationem.

Contra, Augustinus, *XI De trinitate capitulum VII*,⁴ dicit, quod animae intentio copulat visum cum re visibili et aciem cum specie in memoria. Sed ibidem dicit, quod hoc facit voluntas.

Respondeo, dicendum, quod quidam dicunt, quod intentio dicit actum compositum duarum potentiarum, voluntas, scilicet, et rationis, et neutra sufficit per se. Nam intentio derivatur ab hoc verbo 'intendo dis', quod est in aliud tendere, et sic dicit collationem et quamdam quietationem.

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 38, c. 2, q. 2, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Add. in marg.

³ Matt. 6:22

⁴ Augustinus, *De trinitate* lib. 11, cap. 8.

Alii dicunt planius, scilicet, quod est
solum voluntatis, quia intentio dicit desiderium finis potentiae
moveris se vel alias potentias ad ipsum finem optinendum.

Planum est autem, quod finem appetere et potentias alias
<42va>

movere proprie voluntatis est, sed quia voluntas praesupponit actum
rationis, ideo includit de sua significatione actum rationis ordinantis
aliquid in finem. Cuius exemplum est, quia quantumcumque quis cogitet de
aliquo, nisi velit illud et nitatur optinere, non dicitur intendere illud.

Ad primam argumentum, dicendum, quod oculus dicitur metaphorice intentio, non quantum
ad cognitionem, sed quia cognitionem supponit per quam proponitur voluntati
finis ad quem movet, sicut oculo praevidemus, quo tendere debemus.

Ad secundam patet responsio, quia intentio non dicit ordinationem tamquam
partem sui significati eam de directo significando, sed eam
praesupponendo.

Erit tamen notandum, quod intentio ultra voluntatem
dicit aliquem conatum et desiderium optinendi, accipiendo voluntatem
non pro instrumento, sed pro affectione vel usu, secundum quod dicit
Anselmus. Unde bene potest quis velle aliquid, et tamen non dicitur intendere illud,
nisi nitatur ad habendum.

Item, intendere non convenit nisi rationalibus proprie,
quae cognoscunt finem et ordinant ad finem. Bruta vero non cognoscunt,
nec dicuntur intendere, nisi valde large accepta intentione
secundum quamdam similitudinem.